

oppidanis recepit . Ferdinandus , quo ad Telam Gallos diligentius obsideret , omnemque iis commeatus facultatem eriperet , castra proprius oppidum admoveri manda- verat . ea re Gallis enunciata , magnum calonum & lixa- rum numerum , equitesque cataphractos , qui eis præsidio essent , centum quinquaginta , levis armaturæ , qui sagittis utebantur , alteros totidem celeriter portis emiserunt , uti ex vicinis oppido villis vicisque quidquid possent pabuli colligerent , atque in oppidum comportarent : reliquum omne succenderent , ne hostes eo uti possent . Imperator ea de re certior factus , cum Philippo Rubeo , equitibus que Italij levis armaturæ , quos circum se habere consueverat , celeriter infecutus , prælio cum Gallis acriter commisso , cædeque facta , refugere illos in oppidum compulit . quibus pulsis , castrisque regis prope oppidum positis , cum Galli commeatu laborarent , diesque complures sine spe levandæ inopiæ se continuissent , equitibus præterea & militibus stipendum deberetur , neque pecunia suppeteret , missis ultiro citroque internunciis , ipsoque duce cum rege ad colloquium admisso , tertiodecimo calendas textiles paci sunt , uti si auxilia intra mensim ab rege Carolo ad se se non mitterentur , quibus auxiliis exire oppido , atque in aperto consistere audeant , regno Neapolitano cederent , exceptis oppidis Venusia , Cajeta , Tarento : ipsis interim ab rege commeatus copia fieret : cedentibus autem rex suum præsidium adjungeret , quo Puteolos accedere , navesque in Galliam trajecturi con- scendere tuto possent . ejusque rei cum ipsis obsides regi dedissent , legatum Venetum , quem cum Ferdinando esse intellexerant , ab rege adhiberi voluerunt , qui eis ita foro , uti convenerat , reipublicæ nomine sponsor esset . Iis scriptis firmatisque conditionibus , Gallorum dux regi est pollicitus , si sibi centum auri libras mutuo det , quibus stipendia , quæ debet , exercitui persolvat , se se triduo ces- furum , oppidumque traditurum . Accepta rex conditione quinquaginta ei libras numerari statim jussit : reliquas al- teras quinquaginta Helvetiis militibus , quibus debeban-